

*Jul. Cœsare*, qui & *Carthaginem* eodem tempore instauravit: & ins  
utrasque, urbes olim splendidas & illustres, colonias Romanorum  
deduxit, præsertim *Libertinorum*.

*Strabo* ubi ante. Illi cùm rudera amoliri cœpissent, simulque  
sepulchra effodissent, testacea opera plurima, atque etiam ærea multi-  
ta invenerunt, quorum admirati artificium, nullum sepulchrum  
non effoderunt, magnâque id genus rerum copiâ potiti, iisque ma-  
gno divenditis, Romam impleverunt, *Necrocorinthiis*, sic enim ap-  
pellabant, quæ sepulchris erant ablata opera, maximè testacea. Et  
cùm urbem vastaret *Mummius*, inventæ sunt tabulæ pictæ admiran-  
di artificii & Romam allatae. Maximè enim *Corinthi* & *Sicyone* pin-  
gendi ac fingendi, aliæque id genus artes sunt auctæ.

Situs urbis jam instauratæ talis. Mons celsus, cuius perpen-  
diculum III. stadiorum & dimidii. Ascensus est XXX. stadi. In  
verticem definit acutum. Monti nomen *Acrocorinthus*. Ad ipsam  
radicem *Acrocorinthi* urbs jacet. Circulus urbis vel XL. stadia æqua-  
bat, muroque fuit munita urbs, quantum ejus mons denudaverat:  
mœnibus ipsa etiam includebatur *Acrocorinthus*, quâ muro muniri  
poterat: Et nobis ascendentibus (*Strabonis* sunt verba) rudera ap-  
parebant antiquæ urbis, ita ut universus ambitus fuerit ad LXXXV.  
stadiæ.

In summo mons vertice fanum habuit *Veneris*, fanum adeò lo-  
cuples, ὥστε πλειστὴν χιλίας οεράδων τοῦ έταιρος, ut plures  
quam mille habuerit facrorum famulas meretrices, quas Deæ viri  
mulieresque dedicarunt.

*Herodot.* lib. 5. cap. 92. Fuerat olim in urbe veteri fanum *Ju-  
nonis*: quò congregatas omnes fœminas Corinthiacas, *Periander* ty-  
rannus per satellites detractis vestibus sine discriminatione denuda-  
vit, vestesque earum in foveam quandam comportatas, *Melissa* uxori  
suæ defunctæ (cum quam defunctâ ipse coierat) concremavit.

*Historia de primâ fundatione Ecclesiæ Evangelicæ in hâc urbe,*  
*Act. 18.* planum facit, plurimos illic fuisse Judæos, & unam saltem eo-  
rum Synagogam, si non plures.

IN